

Kretsch-  
mar

1761









218.

52

DE  
PRAEVARICATIONE  
PATRONORVM ET CLIENTIVM  
DISSERERE TERTIVM PERGIT

---

AD

AVDIENDOS

VI. BONAE SPEI IVVENVM  
VNIVSQVE EX IIS SCHOLAE VALEDICTVRI

**S E R M O N E S**  
DE TESTIVM FALSORVM NEQVITIA

QVOS

He 12 27 b  
= CRASTINA LVCE

D. XVI. NOVEMBR. A. O. R. MDCCLXI.

HORA II. A MERIDIE AVDITA

IN AVDITORIO SCHOLAE INFERIORE

RECITABVNT

MAGNIFICVM EPHORVM AMPLISSIMOS  
REIPVBLICAE PATRES CONSCRIPTOS REVEREN-  
DOS VERBI DIVINI MINISTROS

NEC NON

QVOSVIS ARTIVM ET SCHOLARVM FAVTORES BENEVOLOS

PEROFFICIOSE INVITAT

M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMAR  
LYCEI AD S. CRVCIS RECTOR.

---

D R E S D A E

PRAELO JOANNIS GVILIELMI HARPETERI.







na iis, quibus Patronis aequae ac Clientibus, lege Romulea, sub deuotionis poena interdicebatur, secundo loco alternum erat in foro testimonium. DIONYSIVS enim l. II. p. m. 84. ita; Κοινή δ' ἀμφοτέρους ἔτε ὄσιον, ἔτε θέμις ἦν - - - καταμαρτυρεῖν (\*) commune autem utrisque erat, ne fas aut ius esset alteris - - - aduersum dicere testimonium; Additque, eum, qui hoc facere deprehensus esset, tege de proditoribus tentum esse, conuictumque eius criminis, cuius fas fuisset, ut Diti sacrum, interficere. Quod quidem interdictum, a DIONYSIO seuerius descriptum, PLVTARCHVS in vita Romuli p. m. II. (edit. Junt.) emollire videtur, his usus verbis: Καταμαρτυρεῖν τε πελάτε προσάτην, ἢ προσώτερον πελάτην, ὅτε νόμος ἀδείς, ἔτε ἀρχῶν ἠνάγκαζεν, & testimonium dicere Patronum contra Clientem, aut Clientem contra Patronum, nulla plane lex erat, neque magistratus cogebat. Ex quibus manifestum inter utriusque relationem patet discrimen. DIONYSIVS enim

(\*) Καταμαρτυρεῖν, testimonium perhibeo, testis sum contra aliquem, vi praeposit. κατὰ eum Genit. construitur, καταμαρτυρεῖν τινας. DEMOSTHEN. Ὁσ' αὐτὸς εἰνὲς καταμαρτυροῦμαι, qui se suo conuicit testimonio, testis fuit aduersus se ipsum. Ita Matth. XXVI. v. 62. Summus Sacerdos ad Christum: τί ἔνοι σὺ καταμαρτυροῦσιν; quid isti contra te testentur? Eodem modo Pilatus ad eum Matth. XXVII. v. 13. In Passivo: καταμαρτυροῦμαι, testimonio conuincor. AESHIN. ὁ δὲ κρινόμενος καταμαρτυροῦνται ὑπὸ τῷ εἰνὲς βίᾳ καὶ τῆς ἀληθείας, qui iudicatur, conuincitur sua vita & veritate. Vid. H. STEPHANVS in Lexic. & GVIL. BVDAEVS in Commentar. Gr. Lingu. p. 440. Descendit a μάρτυρ f. μάρτυς, testis, generatim: At κατ' ἐξοχήν apud Christianos scriptores eum notat, qui veritati coelesti, suo sanguine fuso, aut multis adfectus cruciatibus testimonium perhibuit. Itaque h. l. per hoc verbum καταμαρτυρεῖν indicatur interdictum quod Romulus praefecerat, ne Patroni & Clientes in iudiciis aduersus se inuicem testimonia ederent s. testes essent.



enim sub graui deuotionis poena a Romulo prohibitum fuisse annotat, quo minus Patroni atque Clientes testes aduersus se inuicem in iudiciis essent. PLVTARCHVS autem istud modo refert, eos neque a lege, neque a magistratu fuisse coactos ad testimonium aduersus se mutuo dicendum; vti & PLVTARCHVS illius feuerioris poenae, quam commemorat DIONYSIVS, praeuaricatoribus, tum Patronis, tum Clientibus, a Romulo dictatae, nullam plane infert mentionem. At, quod iam supra Sect. III. §. 10. p. 26. monui, DIONYSII potius, utpote plenius multo Romulea nobis instituta describentis, quam PLVTARCHI, qui haec talia multo breuius, & tanquam in transitu, variis adeo non parui momenti praetermissis rebus tradidit, vestigiis insistendum esse, arbitror. Antecedenti proinde Sectione cum Patronis atque Clientibus, se inuicem in iudiciis accusare, grauissima deteritis poena, interdictum fuisse, explicuerim, nunc etiam hac Sectione eandem poenam fuisse constitutam eis, qui vel Patroni aduersus Clientes, vel Clientes aduersus Patronos testium loco in iudiciis esse auderent, non tam euincam, quippe quod ex diserta patet legis littera, quam potius in iustitiam huius legis, qua fieri poterit breuitate, inquiram, Romuli mentem illustraturus.

## §. 15.

Videlicet prudentissimus reipublicae conditor Romulus, cum sanctissimum (\*\*\*) inter *res duarum potentes* seu nobiliores & *plebem* nectere vinculum constituisset, id quod e salute, suae quam

G 2

con-

(\*\*) ILL. quondam Antecessor in Acad. Witteberg. beate defunctus AVGVSTIN. LEYSERVS in *Medidar. ad ff. Vol. VIII. Specim. DCIV. p. 357.* ita: *officium Patroni erga Clientem apud veteres Roman. magis sanctum, quam cetera officia ferre omnia reparabatur.* Id quod ex GELLII *Noctib. Attic. l. v. c. 13.* comprobatur, quem locum supra aliquoties excitavi. Vid. supra Sect. III. de Praeuaricat. §. II. p. 27. seq.



condebatur, reipublicae futurum esse, rectissime colligebatur, hoc Patronatus ius introducebatur, huiusque praecipuum & primum esse fundamentum, mutuam inter Patronos & Clientes beniuolentiam fidemque, sapienter iudicabat. Quapropter omnibus praecauere eaque de medio tollere opus erat ipsi, quae hanc beniuolentiam minuere aut disturbare videbantur. Lites vero in foro inter eos, ortas, si nempe se inuicem ad tribunalia abstraherent, huic fidei beniuolentiaeque cum maximo futuras esse obstaculo, recte arbitraretur, minaciter interdicebat, quo minus mutuo se inuicem accusarent, aut testes essent vnus aduersus alterum. Vtrumque enim beniuolentiae, amicitiaeque vinculum inter eos, qui antea arcto nexi fuissent vinculo, mirum in modum dissoluere. Quod adeo Diuinis congruit litteris, vt JACOBVS, Apostolus c. IV. v. I. τὰς δώδεκα φυλάς, ἐν τῇ διασπορᾷ, *duodecim tribus in dispersione* propter πολέμους καὶ μάχας *contentiones & lites mutuas*, inter eas ortas, redarguens (\*\*\*) , v. I. exinde φόνον καὶ ζηλον, id est, animos inimicissimos, qui aut mortem aliorum optent, aut vitae eorum infidentur, enasci, admonuerit.

## §. 16.

At videtur hic Romulus rem constituisse, quae Juris Naturae principiis repugnare videtur. Testimonium enim dicere iuris est naturalis, ad quod quilibet obligatur. Nam primum veritati vene-

(\*\*\*) Non hujus est loci, in allegati dicti sensum inquirere. Perplacet mihi eorum interpretatio, qui πόλεμον non de bello proprie dicto, quod Christiani tum gerere non valebant, sed de litibus, & φόνον de animo inimico, saepius adeo caedis cupido, interpretantur. Sensu ita explicito, non erit opus in castra eorum transire, qui pro φονεῖν hoc loco φονεῖν legere malunt. Procul enim absit critica illorum audacia, qui textrui sacro, consensu probatorum codicum interdum minus muniti, vim inferre dubitant nulli, haud perpendentes, vel qualibet a syllaba scripturae, diuinitus inspiratae, Judaeorum adeo magistris testibus, altos dependere montes. Ceterum vid. ad h. I. B. WOLFIVS in *Curis* p. 56. seq.



nerabili, qua sublata mundus non subsistit, hoc quilibet debet, vel ipsis conscientiae stimulis concitus, ut testimonium eius in gratiam perhibeat, ad mortem usque, SIRACIDE c. IV. v. 33. monente, eandem defensusus. Deinde quieti societatis, arctissimo naturae vinculo, quod & origo communis, & indigentia nostra, & felicitas promouenda, nexuere, constrictae, quemuis consulere, atque ei operari iubet natura. Sed haec quietis obtineri & defendi nequit, nisi damnum, a noxio illatum, ab innocente auertatur, suumque cuius tribuatur. Inde cuius lex naturae hanc imponit necessitatem, ut ad malum & damnum ab altero auertendum, atque suum cuius tribuendum omnem nauet operam. Quomodo autem sine testimonio res controuersa decidi, suumque cuius tribui potest? Sane sine testibus res, quae in controuersiam venit, diiudicari nequit, neque dici, ad quem pertineat. Ergo si quilibet ad tutelam quietis in societate defendendae conseruandaeque natura obstrictus tenetur, etiam ad testimonium quodlibet societatis membrum pro veritate & innocentia dicendum obligatus erit. Optime, ut in aliis, sic etiam ad hanc quod attinet sententiam Illustris CHRISTIAN. WOLFIVS in *Juris Naturae* P. V. c. IV. §. 1059. p. 714. seq. ita scribit: *Naturaliter obligamur ad testimonium dicendum, nemo tamen inuitus ad dicendum impelli potest. Per testes enim probantur facta, ut scilicet de eorum veritate constet, qua ignorata, res controuersa decidi nequit, consequenter nec iudicari, cuiusnam quid debeatur, & num debeatur, vel cuiusnam sit res controuersa, adeoque damnum a parte vna auertatur & suum cuique tribuatur. Quam ob rem cum naturaliter obligemur ad damnum ab alio auertendum, quantum in nobis est, & ad suum alteri tribuendum, consequenter nec ad omittendum id, quod conferre ad hoc valemus, ut alteri suum tribuatur, naturaliter obligamur ad testimonium dicendum.*



## §. 17.

Jure Romano civili testes erant non modo voluntarii, seu, sua qui sponte testimonium perhibebant, sed & inuiti aut coacti, quibus iudex per praeconem, quin adeo accusator ipse testimonium denuntiare, i. e. quos ad diem, qua dicendum erat testimonium, citare, compellere, rapere, & vi, manu iniecta, cogere, poterat (\*). Variis etiam poenis, utpote captione pignorum, eorumque distractione & alia multae indictione, quin adeo per torturam testes ad testimonium dicendum potuisse cogi ex luculentis

(\*) Fiebat haec testimonii denuntiatio aut per iudicem, qui testes per praeconem euocabat coactos; aut ipso ab accusatore per antestationem (antestor, verbum, est formula solemnis in iure Romano, v. BARNAB. BRISSONIVS de *Formulis*, ex recens. CONRADI l. v. 2. p. 346.). Scilicet ad testimonium dicendum euocatus, si tergiuerfaretur, ei testimonium indicebatur his verbis: *Licetne antestari*, i. e. an licet te teste ad hanc rem uti? Si respondisset: *Licet*, auris (in qua veteres memoriae sedem statuebant, teste PLINIO l. XI. 45. *in aure ima memoriae locum, quem tangentes antestantur*) ei erat porrigenda, qua molliter tacta, monebatur, ut rei gestae memor esset. Quo facto accusator, nisi sua sponte sequeretur, iniecta eum manu ad tribunal rapere poterat. Quam in rem luculentum exstat HORATII testimonium l. I. *Satir.* 9. sub fin. ita canentis:

- - - Casu venit obuius illi  
Aduersarius: & quo tu turpissime? magna  
Exclamat voce: & licet antestari? Ego vero  
Oppono auriculam: rapit in ius.

HORATIVM videlicet ambulans molestus nugator adibat, inuitumque eum ad testimonium dicendum cogebat, formula vsus: *Licet antestari?* HORATIVS ei, facta hac denuntiatione aurem porrigebat, qua tacta, ad tribunal inuitus rapiebatur. Ad quem poëtae locum DIONYSIVS LAMBIVS rem pluribus illustrat. Imprimis *legem XII. Tabul.* quanquam deprauatam, allegat: *Si vis vocationi fuit, aut si te in ius vocantem non sequatur, antestatus em capito, seu, in ius em rapito.* TVRNEB. sic putat restituendam: *Si in ius vocat, ni it, antestatus manum iniicito, aurem antestati capito.* Deinde obser-



tis legum argumentis colligit CL. D. SIGISMVND. GOTTLIEB HILLIGER in Dissert. Doctor. de *Jure & Modis testem renitentem legitime compellendi*, §. 16. p. 22. qui etiam antec. §. 15. p. 21. obseruat, aliis antiquarum gentium hanc testium coactionem non infrequentem fuisse. Ita ex DIODORO SIC. comprobatur Aegyptiis eum, qui sceleri praesens fuisset, testimonium recusantem, in usu fuisse, virgis caedere, aut tridui fame, coercere. Mille drachmis refractarium in testimonio dicendo multatum fuisse, ex legibus Atticis annotat (\*\*). Reliquarum vero ut gentium consuetudines taceam, quid iure Saxonico ratione huius coactionis legibus sit sancitum, paucis modo verbis tangam. Etsi Jus antiquum Feudale Saxonicum testes non coëgit, v. HILLIGER l. c. §. 13. p. 19. seq. (\*\*\*) : Jure tamen Electorali multam decem florenorum Rhenensium, testimonium perhibere recusanti, primo loco fuisse irrogatam, eamque toties, quoties non apparuerit, fuisse repetitam, nec paupertatem hanc auertisse poenam, cum tritum illud: *Qui non habet in aere, luat in corpore*, hic quoque locum inueniat, obser-

seruat LAMBIVS, compositum esse hoc verbum ab *am*, quod in compositi- que valet *circum*, & *testari*. Sed haec missa facio: Vid. praeter B. BRISSONIVM, iam supra allegatum JO. ROSINVS in *Antiquit. Roman.* l. IX. c. 21. de *Testibus* p. 688. FRANCISC. POLLETVS in *Hist. Fori Roman.* l. IV. p. 383. S. PII ISCVS in *Lexico* T. II. p. 116. & quos magna copia hic allegat, scriptores.

(\*\*) Lex erat: τὸν ἐκκλητευθέντα, ἢ μαρτυροῦν, ἢ ἐξωστὰς αὐτοῦ ἢ χιλίας δραχμὰς ἀποτίσαι τῷ δημοσίῳ, quam SAM. PETITVS de *Legib. Attic.* l. IV. tit. VII. ita transfudit: *In ius vocatus testimonium vel dato, vel iurato, vel mille drachmis multator.* Ἐκκλητεύειν Graecis idem est, quod Latinis, *testimonium alicuius denuntiare.*

(\*\*\*) CHIL. KOENIG. *Pract. & Proc.* c. 27. n. 2. verbis, antiquo stilo conformibus, ita hac de re differit: *Nach Sachs'schen Rechten zu Lehn-Rechten will dieser Gezwang allewege nicht statt haben. Denn so der angegebene Gezeuge nicht fürkommt, oder seine Aussage nicht thut, soll sich der Zeugenführer mit einem andern Gezeugen versehen.* v. HILLIGER, l. c.



feruat idem HILLIGER §. 21. p. 26. seq. Ex quibus hactenus dictis fatis apparet, testium coactionem Juris Ciuilibus esse firmiter sancitam. Conf. B. LVDERI MENCKENII *Systema Juris Ciuilibus secundam Pandectas*, a CL. D. CHRISTIAN. SCHOEN editum, ad libr. XXII. tit. V. de Testibus n. 15. seq. p. 406.

## §. 18.

Naturali proinde iure cum quilibet ad testimonium veritati perhibendum obligatus sit, cumque ipsi iuris Romani statores postea testium coactionem ex hoc fundamento introduxerint, aliarumqun gentium consuetudines eandem approbarint, quaeritur, qua ratione Romulus Patronos atque Clientes ab hoc officio eximere potuerit? Et annon aliquid, quod iniustitiae exemplum prae se ferat, statuerit? At verohoc ad dubium solvendum in promptu est responsio: Peculiare scilicet Jus Patronos inter atque Clientes sanciebat Romulus, quod mutua beniuolentia, mutuoque nitebatur fauore, cui testimonium hoc coram tribunali aduersus se inuicem latum, fuisset inimicum atque perniciosum, v. supra §. 15. Nec vero sanciebat Romulus, vt nemo ex Patronis atque Clientibus in aliorum causis testes essent, quod omnino ex iis cuius non tam erat liberum, quam ad quod adeo Patronorum & Clientium quilibet iuris naturae principiis obstrictus tenebatur, quin iuris ciuilibus sancitis cogi poterat; sed ea tantum huius reipublicae Conditoris mens erat hocque seuerissime iniungebat, ne Patroni atque Clientes ipsi se inuicem antestarentur, ad tribunalia abstraherent, aut contra se testimonium perhiberent. Id quod omni iure, saluaque iustitia poterat sancire. Nam *primum*, etsi Jure Naturae quilibet ad testimonium pro innocente laesoque perhibendum obligatur, tamen secundum huius principia nemo ad hoc officium potest



est cogi, quia testimonium perhibere officium est humanitatis, ad quod praestandum natura quidem obligat, sed non cogit. Multa sunt, ad quae nos nostramque conscientiam naturae ius obstringit, quae vero coactionem respuunt. Sic pauperibus stipem erogare quilibet natura iubetur & ad subleuandam eorum indigentiam compellitur, nec tamen ad hoc humanitatis debitum, quod omnes explere debemus, quemuis tergiuersantem natura cogit. Sic res in reliquis humanitatis officiis est comparata, quorum etiam hoc testimonium perhibendi officium pro causa alterius contra alterum, est referendum. Testem rursus huius sententiae excito ILL. CHRISTIAN. WOLFIVM l. supra alleg. qui p. 715. ita: *Nemo inuitus compelli potest, (scilicet ex principiis iuris naturalis) quoniam testimonium dicere naturaliter officium humanitatis est, nemo autem naturaliter habet ius ad officium humanitatis alterum cogendi.* Pergit deinde: *Siue testimonium pro parte vna, siue contra alteram in re controversa dicendum: semper spectatur commodum partis alterutrius, adeoque semper agitur de damno ab eadem auertendo, & suo eidem tribuendo.* Deinde occurrit obiectioni: *Quod si dicas, si testes adhibentur ad probanda delicta publica, consequenter id agatur, ut reus puniatur, hic minime spectari eius commodum: tenendum est, Reipublicae interesse, ut delicta puniantur, adeoque Reip. spectari commodum, quae tanquam pars aduersa eius, qui contra eam deliquit, consideranda.* - - *Quae vero hic demonstrantur de obligatione naturali ad testimonium dicendum minime trahenda sunt ad statum ciuilem, in quo ciuitati perfecte obligamur ad dicendum verum, ex lege quoque positiua humanitatis officium in perfecte debitum conuertere potest.* Quando itaque testes ad hoc officium, quod humanitatis est, nostris etiam consuetudinibus, ad dicendum videlicet testimonium pro causa unius contra alterum coguntur, hoc a lege positiua po-

H

tius



tius, quam naturali (\*), deducendum est, ex qua positiva lege legislatores omnino commodissimam viam ad verum eruendum comprobandumque sectari, eamque pro potestate, diuinitus sibi concessa, vel seuerissima sub poena vrgere potuerunt, imprimis cum lex naturae cuiuslibet conscientiam ad hoc praestandum officium obliget. Romulus itaque rebus his perpensis mentes superiorum & inferiorum beniuolentia connexus, hanc beniuolentiam fulcrum felicitatis Reipublicae condendae arbitratus, omnia ea remouere voluit, quae illi sunt contraria, inter quae violentam ad tribunalia abstractionem, atque mutuam aduersus se inuicem testimonium rectissime retulit.

## §. 19.

Deinde a testimonio dicendo iure Romano varii excludebantur in quibus imprimis sunt parentes liberique; Nonnulli a necessitate & coactione liberi erant, quos verbis recenset concinnis ILL. GOTTLIEB HEINECCIUS in *Antiqu. Roman. Jurisprud. illustr.* l. IV. tit. XVIII. §. 26. p. 353: *A qua necessitate lex Julia de Iudiciis publicis exemerat generos, soceros, vitricos, priuignos, sobrinos, sobrino natos, eosque, qui propiore gradu essent, libertos item & Patronos.* De iis, qui prohibebantur & a coactione eximebantur, paucis quoque agit JO. ROSINVS in *Antiqu. Rom.* l. IX. c. XXI. p. 683. B. LVDER. MENCKENIVS in *System. ad Pandectas* l. XXII. tit. V. p. 461. seqq. & p. 406, seq. Quare vero parentes, liberi & consanguinei sint prohibiti, ratio facile patet, quia videlicet eorum testimonio minus tuta fides tribuenda est. Nam amor innatus, quo se inuicem amplectuntur, omnino dicendae

(\*) CL. quidem HILLIGER l. c. §. 12. seq. hic contrarium statuit, coactionem testium Juris quoque naturalis esse arbitratus: At vero respexit tantum id, ad quod natura quemuis obligat, nec vero ad id attendit, quod humanitas quidem suadet, ne utiquam vero coactionem exigit.



dae repugnat veritati, aut contra iste amor, dato aduersus con-  
sanguineum testimonio, tollitur, saltem imminuitur. Romulus ita-  
que cum proximum fere locum Patronis post parentes, & Clienti-  
bus post liberos dedisset, Patronosque iussisset illud facere, quod  
pro liberis facerent parentes, teste DIONYSIO l. VII. p. 84. (\*\*):  
Eriam Patroni & Clientes aequae ac parentes & liberi cognatique  
a testimonio dicendo prohibebantur eximebanturque. Sapienter  
eum hac in re egisse, nec quid, quod naturae legi repugnaret, sta-  
tuisse, ex iam dictis satis apparet.

\* \* \*

**R**ursus exercitium in arte dicendi, quod crebrius in scholis re-  
petitum, mirifice prodest, suscipere ex nostratibus nonnulli,  
mihi & pietate & industria & dexteritate probati, discipuli con-  
stituerunt, imprimis cum vnus ex illorum ordine ad Academiam  
Lipsiensem discedere sua ex re sit arbitratus. Argumentum, quod  
illis ad dicendum proponerem, altius non fuit repetendum. Or-  
do enim in materia de Patronis atque Clientibus, in quam  
pro virili adhuc sum commentatus, cum me ad statutam a Romu-  
lo eorum a testimonio coram iudicibus aduersus se inuicem dicen-  
do, exclusionem, deduceret, cognatum illis argumentum dicendi  
*de testium falsorum nequitia* proponere constitui, quod sequenti  
ordine explicabunt:

### I. JO.

(\*\*) A. GELLIVS in *Noct. Attic.* l. V. c. 13. *Conueniebat facile constabatque ex moribus populi Romani, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelaeque nostrae creditos; secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese iidem in fidem parociniumque nostrum dediderunt: tum in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos affinesque. Dehinc Catonis testimonio rem munit: M. Cato in oratione, quam dixit apud censores in Lentulum, ita scripsit: Quod maiores sanctius habuere defendi pupillos; quam clientem non fallere, aduersus cognatos pro cliente restatur. Testimonium aduersum clientem nemo dicit: patrem primum, deinde patronum proximum nomen habere.*



- I. JO. Gottlob BRETSCHNEIDER, Cadiz. *Misn. falsum testem, quis sit ille,* describet:
- II. CAROLVS Gottfried KRAVSSIVS, Schvartzzenberga-Misnic. *falsum testimonium nefarie veritatem opprimere,* ostendet: Qui duo profaico sermone Latino vtentur; At
- III. Traugott BENJAMIN SCHELLIVS, Dresd. *falsum testimonium conscientiam maculare,* Graeco sermone soluto vsurus, edocebit.
- IV. JO. FRIDER. GVILIELMVS PRIBVS, Dresd. *testem falsum in societatis humanae vinculum, quod arctissime est constructum, admodum peccare,* demonstrabit.
- V. JO. JAC. BVRCHARDTVS, Dresd. *testem falsum grauissima in Deum ipsum,* peccata committere, euincet.  
Tandemque
- VI. JO. FRIDERICVS LANDSBERGER, Dresd. *veritatis laudes praedicabit;* Qui tres posteriores Latinas oratiunculas, soluto sermone conscriptas, recitaturi, quid valeant humeri, tentabunt.

Quo facto, quintus ordine, BVRCHARDTVS, qui pietate, industria, & dexteritate se mihi probauit, PATRONIS scholaeque carmine vernaculo valedicet: quem vltimus inter dicturos, LANDSBERGER, votis bonis, pariter improsa vernacula conceptis, prosequetur

Primum quidem iuuenes dicti publicam in arenam descendent, vires periclitaturi: At nihilo tamen minus artium scholarumque FAVTORES atque PATRONI, imprimis MAGNIFICVS EPHORVS, AMPLISSIMI PATRES REIPUBLICAE, SVMME REVERENDI V. D. MINISTRI, reliqui, submissis exorantur precibus, vt frequenti sua, eaque beneuola praesentia, illorum conamina excitulaturi, hoc quoque exercitium cohonestent, a nobis certissima pietatis grataeque mentis testimonia exspectaturi. Dab. e museo Cruciani, d. XV. Nouembr. A. O. R. MDCCLXI.





Me 1297<sup>b</sup> =

ULB Halle

3

006 782 310




1078











B.I.G.

Farbkarte #13

78

52

DE  
PRAEVARICATIONE  
PATRONORVM ET CLIENTIVM  
DISSERERE TERTIVM PERGIT

AD  
AVDIENDOS  
VI. BONAE SPEI IUVVENVM  
VNIVSQVE EX IIS SCHOLAE VALEDICTVRI  
**S E R M O N E S**  
DE TESTIVM FALSORVM NEQVITA.

*He 12 27 b*

QVOS  
CRASTINA LVCE

D. XVI. NOVEMBR. A. O. R. MDCCCLXI.

HORA II. A MERIDIE AVDITA  
IN AVDITORIO SCHOLAE INFERIORE

RECITABVNT  
MAGNIFICVM EPHORVM AMPLISSIMOS  
REIPVBLICAE PATRES CONSCRIPTOS REVEREN-  
DOS VERBI DIVINI MINISTROS

NEC NON  
QVOSVIS ARTIVM ET SCHOLARVM FAVTORES BENEVOLOS  
PEROFFICIOSE INVITAT

**M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMAR**  
LYCEI AD S. CRVCIS RECTOR.

**D R E S D A E**  
PRAELO JOANNIS GVILIELMI HARPETERI.

